



§. V.

DE VERITATE EJUSQUE FONTIBUS.

1. Veritas se manifestat per indicia, quae respectiva nos certitudine donant: 2. Nulla datur veritas, quam mens humana ex duplici hoc fonte derivare non queat: *a.* Experientia seu sensu. *b.* Ratione. 3. Judicia, quae per experientiam formantur, sunt quidem singularia, at quomodo ope experientiae etiam ad veritates universales inveniendas deveniatur, ostendemus. 4. Experientia alia est in- alia externa, utraque nos certos reddit: illa de existentia animae, ejusque adfectionum: haec de existentia rerum extra nos positarum. 5. Testimonium hominum, si omnibus characteribus stipatum sit, nos non minus certos reddit, ac testimonium sensuum externorum. 6. Veritas historica ex lapsu temporis nihil per se patitur. 7. Veritatem, quam experientia non adsequitur, ratio detegit, quae sive primo statim intuitu sive mediante notionum resolutione convenientiam distincte percipiat, irrefragabile veritatis criterium est. 8. Quenam sint principia ac methodus demonstrandi; utrum experientiae aut rationi magis fidendum sit; utrum ratio & revelatio sibi adversari queant; quodnam sit rationis in negotio revelationis officium, quaesiti dicemus.

§. VI.

DE PROBABILITATE, ERRORIBUS, EORUMQUE FONTIBUS.

1. Nec experientia, nec ratio sufficientia semper veritatis indicia suggerunt: in pluribus ergo sola probabilitate contentos nos esse convenit. 2. Probabilitas habet suos gradus pro ratione motivorum; haec, si pro utraque parte obposita sint *aequalia*, perit propensio ad adfentiendum, & nascitur dubium: adfentiaturne ergo, si pro obposita parte *majora* stent motiva? 3. Probabilitatem Cl. *Rüdigerus* apte dividit in historicam, hermenevticam, physicam & practicam: Canones pro singularum gradu determinando dabimus. 4. Sicut generales & speciales sunt errorum fontes, ita iisdem cum generalibus, tum specialibus remediis obviandum est. 5. Generalissimum contra errores remedium est dubitatio: Verum sana esto: specialia coram praescribemus.